

liberè proferant, quod iuxta verbum Domini sentiunt ac probè cognoscunt.

Prima tentatio pertinet ad existimationē, & ea est, quā metuunt, ne cūm prædicant apertū Dei verbū, ab his, qui id nō percipiunt, accusentur hæreseos, & nouæ, portentosæ, perniciosæq; doctrinæ. Huic tentationi Christus occurrit, dicens: *Si vos domesticos, sicut & patrem familias appellauerint, Beelzebub, ne metuatis* (scilicet hāc infamiā) *Quare? Nihil enim est reatum, quod non sit retegendum: nihil occultum, quin futurum sit, ut sciatur. q. d. Fiet tandem manifestum, nos non esse Beelzebub, sed filios Dei.*

Matth. 10.  
v. 25. & 26.

Secunda tētatio cōcernit vitā hanc: ea est, quā verbi Pastores atq; Doctores, metuere solent, ne si liberè dicant verbū Dei, à tyrannis occidantur. Huic tentationi resistendū esse, docet Christus, cūm ait; *Nolite timere ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Timete eum, qui potest utrumq; mittere in Gehennam: imò nihil aduersi nobis contingere poterit ab hominibus, si nolit Pater vester, absq; cuius voluntate, ne passerulus quidem cadit in terram. Quare neq; timenda est mors ab hominibus. Idem argumentum confirmat, dicens: Nonne duo passeruli minuto asse veniunt, & vnus ex illis non cadit in terram, sine Patre vestro? vestri verò etiam capilli omnes numerati sunt. Ergone metuatis: vos pluris estis, quàm passeruli multi.* Postremò, adhibet promissionem, si liberè profiteamur se, & suum verbum doceamus ac prædicemus: sin secus, addit minas, & hoc, quando ait: *Omnis igitur, qui me confitetur coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo caelesti, &c. Nihil*

Matth. 10. 28.

Matth. 10.  
29. & 30.

v. 31.